



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus VII. De Commemorationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITULUS VI.

De Translatione Festorum.

IN Ecclesiis autem ubi titulus est Ecclesie, vel concursus populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de Festo. Dum igitur contingit transferri v. g. festum S. Antonii, Immaculatae Conceptionis, &c. omnino duæ Missæ cantandæ sunt, aut tantum una de die: non autem licet cantare de Festo, illâ, quæ est de die omisâ vel solùm lectâ: quia Missa sine cantu est privata, non Conventualis, GAVANT. ad tit. 15. part. 1. neque Missa de Festo censi potest Conventualis, quia ab Officio discordat. Estque casus privilegiatus, quod ob devotionem populi possit, non quod cantari debeat de Festo. Excepta Dominica imâ Adventûs, Feriâ 4tâ Cinerum, Dominicâ imâ Quadragesimæ, Dominicâ Palmarum cum totâ hebdomadâ majori. Dominicâ Resurrectionis, & Dominicâ Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniâ, Ascensionis & festo Corporis Christi. Quibus diebus Missa de Festo intermittenda est.

TITULUS VII.

De Commemorationibus.

N. 1. **D**E Festo simplici fit Commemoratio in Missâ, quando de eo in Officio facta est Commemoratio in imis Vesperis, quando de eo tantum fit Commemoratio ad Laudes, in Missa solemni non fit Commemoratio de eo, sed in Missis tantum privatis. Excipitur Dominica Palmarum & Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit Commemoratio etiam in Missis privatis de Festo simplici occurrente, licet sit facta in Officio.

N. 3. Quando infra hebdomadam dicuntur Missæ votivæ. Intellige de privatis, & de Conventualibus non solemnibus quæ dicuntur in feriis.

Post

Post primam orationem semper dicitur oratio ejus de quo fit Officium.

N. 5. *Orationes quæ 2do vel 3tio loco assignantur dici debent ante Orationes votivas.* Unde si 2do loco assignata sit oratio v. g. *A cunctis*, & 3tia ad libitum sit: oratio *A cunctis* retinebit 2dum locum, etsi pro 3tia ad libitum legas de Spiritu sancto vel Venerabili, &c.

N. 6. *Si facienda Commemoratio pro defunctis, semper ponitur penultimo loco.* Quando autem pro defunctis Commemoratio fieri potest, dictum est supra tit. 5to.

Si Festum novem Lectionum in Vigiliâ intra Adventum occurrat, 2da Oratio erit de feriâ Adventûs: 3tia de Vigiliâ.

Si Missa dicitur de Sancto, qui titulus est altaris, nec tamen Officium de eo recitatur, sed tantum Missa ad altare illius in die festo ejus, tunc Oratio 2da erit de Officio, 3tia, quæ 2do loco in Officio dicenda erat, eo quod non debeat omitti Oratio, quæ congruit Officio.

In Missis votivis de S. Petro, 2da Oratio erit de S. Paulo & in votivis de S. Paulo, 2da de S. Petro: melius tamen est earum vice dicere Missam votivam communem de eisdem Apostolis. Si eo tempore 2do loco legenda præscribatur oratio *A cunctis*, tunc loco hujus substituenda oratio *Concede*: quæ est 1ma inter Orationes ad libitum.

Si orationes plures coincidunt planè eadem, commutatio fieri debet recurrendo ad alias orationes de communi.

Si vero in Communi non invenias ut dum plures Collectæ legendæ de Virgine tantum, tunc 2da Collecta sumi poterit ex *Missa me expectaverunt, Indulgentiam nobis.* omittis verbis *Et Martyr.* Si tres legendæ, 3tia haberi poterit ex festo S. Priscæ 18. Jan. omittis omittendis. Item si tres Collectæ legendæ de Confessore non Pontifice, 3tia sumatur ex communi Abbatum omisso nomine Abbatis.

